



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0323

Mercoledì 19.05.2010

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA CELEBRAZIONE DEL X CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DI SPAGNA (TOLEDO, 27-30 MAGGIO 2010)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA CELEBRAZIONE DEL X CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DI SPAGNA (TOLEDO, 27-30 MAGGIO 2010)

Lo scorso 27 marzo, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Angelo Sodano, Decano del Collegio Cardinalizio, Suo Legato Pontificio per la celebrazione del X Congresso Eucaristico di Spagna, che si terrà a Toledo dal 27 al 30 maggio 2010.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

ANGELO S.R.E. Cardinali SODANO

Collegii Cardinalium Decano

Ex Ipso Domino, salienti veluti a fonte, ornnium beneficiorum manare cumulum omnes credimus. Ad Eum fidenter accedentes gratiis replentur fideles supernisque donis affatim augentur. "Munus enim, quod in Christo est, omnibus patet unum; et quod ubique non deest, in tantum datur in quantum quis volet sumere; in tantum residet in quantum quis volet promereri" (S. Hilarius, *De Trinitate*, 2,1).

Quapropter laetanter cognovimus diebus XXVII-XXX mensis Maii Toleti, praeclara in urbe, frequentem fidelium Hispanorum multitudinem futuram. Celebrabitur enim X Congressus Eucharisticus Nationalis. Interveniente etiam sacerdotali anno et iubilaro anno Compostellano, Dei populus caelestibus subsidiis salutaribusque commemorationibus cumulari videtur, quibus suffultus suam operam in cotidianis officiis sustinendis fortius studiosiusque agere valet. Ut tanti eventus ostendamus praestantiam, petente etiam Venerabili Fratre Braulio Rodriguez Plaza, Archiepiscopo Metropolita Toletano, Hispaniae Primate, nomine etiam ceterorum Praesulum, eminentem virum mittere statuimus qui Nostras partes sustineret et Personam ageret. Ad te autem, Venerabilis

Frater Noster cogitationem convertimus, qui propter tuam praestantiam atque inter Patres Cardinales conspicuum locum prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, ***Legatum Nostrum*** renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Palam demum benevolentiam Nostram declarabis et sollicitudinem, dum preces pariter fundimus ut, divino pane recreati, animi mentesque renoveantur ac insigni pietate ditentur. Salutationem tandem fervidam omnibus transmittas et Benedictionem Nostram Apostolicam universis simul huius eventus participibus nomine Nostro largiaris volumus, quae sit divinarum gratiarum nuntia ac spiritalis renovationis incitamentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXI mensis Aprilis, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XVI

[00736-07.01] [Testo originale: Latino]
